



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE TANTA EST** BEATA MARIA VIRGO, QUAM POPULUS  
VULGARI SERMONE HONORAT

PER TITULUM «NUESTRA SEÑORA DE LA PRESENTACIÓN»,

COFIRMATUR PATRONA DIOECESIS S. PHILIPPI IN VENETIOLA Ad perpetuam rei memoriam. – Tanta est beatae Mariae Virginis amplitudo et gloria, ut quaevis aut religio, aut cultus, aut honor, si cum illius dignitate componatur impar cedat oportet. Est enim illa Christi, Filii Dei, castissima parens, et caelorum Regina, et fidissima christianorum tutela, quae filiorum necessitatibus materna cura medetur. Haec sane causa est, cur Nos, ceu alteram Matrem aestimantes, et honoremus ipsi quam maxime potest, et coli eam a Christifidelibus gaudeamus. Qua re, cum Venerabilis Frater Thomas E. Márquez Gómez, Episcopus S. Philippi in Venetiola, pietate motus qua clerus populusque suus in beatissimam Virginem Mariam fertur sub titulo vulgo «Nuestra Señora de la Presentación», et probaverit electionem eius in Patronam dioecesis, et poposcerit a Nobis ut electionem atque probationem a se factam confirmarem ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, Nos, ea rata habentes, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuerit factis a Nobis olim potestatibus, libenti animo postulatis concedimus, nempe ea spe fore ut per oblatam occasionem et tantae Matris affectus crescat in animis, et per illam Dei gloria magnopere gliscat. Placet ergo beatam Virginem Mariam quam populus «Nuestra Señora de la Presentación» appellare consuevit, Patronam dioecesis S. Philippi aequae esse et haberi, cum iuribus et privilegiis quae titulus ille comportat. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Augusti, anno MDCCCCLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana